

X 1879302

II R  
2798

N. M. II, 106.  
h. 25, 1.

DISPUTATIO

# DE REGALIBUS

QUAM

*Divinâ gratiâ adfistente*

EX DECRETO ET AUTORITATE  
amplissimi & celeberrimi Collegij Juridici  
in Academiâ FRANCOFURTENSI

*Preside Magnifico Clariss: & Consultiss: Viro*

DN. MATTHÆO CUNONE

J. U. D. ILLUSTRISS: ELECTORIS BRANDENB.

Consiliario ac Facultatis DECANO

& Ordinario.

*Pro summo in Utroque Jure gradu & privilegijs  
consequendis*

Publicè in Jctorum auditorio ad diem xvi. Aprilis  
h. vii. discutiendam proponet

BALTHASAR HYLLERUS SILESIUS:

*Cassæ (Sacrtissæ. mem.) Regiæq; Maj. tis*

*causarum Fiscalium in superiori Lusatiâ*

Patronus.

ANNO

M. DC. XII.

Typis JOANNIS EICHORN.



*Clarissimo Doctissimo ac Praestantissimo Viro,  
Domino Adamo Thoma à Langensardt, Not. Publ.  
Pötk; Laurato Casario, nec non Capituli Dier*





MAGNIFICO, NOBILISSIMO,  
ET STRENUO VIRO

DN. CASPARI A METZERAD  
IN DOBERSCHITZ, ETC:

SAC. CÆS. OLIM, NUNC VERO REGIÆ  
IN HUNGARIA ET BOHEMIA MAJ.TIS  
CONSILIARIO;


NEC NON


MARCHIONATUS SUPERIORIS  
LUSATIÆ PRÆFECTO LAUDATISSIMO;  
SUPREMÆ; CURIÆ PRO PRÆSIDI  
DIGNISSIMO.

Disputationem hanc inauguralem,  
in observantiæ symbolum,  
offert ac dedicat



Autor & Respondens.





*T H E S I S*  
**DE REGALIBUS**

Παράσκευη



**R**egalium quoniam in toto Christianorum orbe, in foro & praxi, quotidianus usus ingens & permagnus est; adeò ut inter illa quæ ad conservandum Imperij & Principatus statum conducunt, præcipuum locum obtineant; Idcirco de ijs in præsentì disquisitionem instituere, & præcipua capita breviter percurrere non abs re visum fuit.

*Thesis I.*

Est autem, ut à nominis in vestigatione ordiamur, vocabulum regalium πολύσημον: & modo adjectivè modo substantivè usurpatur, & quidem simpliciter sive substantivè acceptum interdum insignia & ornamenta quibus Imperatores, Reges vel Principes utuntur denotat.

**II.**

Hoc loco pro illis rebus & juribus ponitur, quæ specialiter ad Imperatorem vel regem aut Principem vel alios ex eorundem concessione, aut præscriptio-

ne, pro ut paulo post in definitione declarabitur, pertinent.

### III.

Varijs quoq; indigitantur nominibus nam & jura majestatis, vel jura imperij, vel sacra regni, vel reservata Principis, itemq; jura superioritatis, vel jura regia, nec non sacra sacrorum appellantur.

### IV.

Tametsi non desint, qui inter jura majestatis atq; superioritatis & regalia distinguant.

### V.

Definiri posse videntur regalia: quod sint res, quæ Imperatori, regi, aut supremo Principi, vel alijs ex eorum concessione, vel saltem ex præscriptione, aut consuetudine, in signum præeminentiæ, ad conservandam Imperij regni, vel Principatus & status dignitatem ac sustinenda onera regiminis competunt.

### VI.

Distinguuntur illa communiter ab interpretibus in majora & minora: quæ divisio, ut ut nonnullis displiceat, non rejiciendam tamen eam putamus.

### VII.

Majora Regalia sunt in quibus suprema potestas & dignitas majestasque consistit. Unde & à non nullis potentiora & merè regalia vocantur; quæ personæ & ossibus Principis ita cohærent, ut ab eo separari non possint, sicut nec radij solis à sole.

VIII. Horum

## VIII.

Horum variæ numerantur species, è quibus hæ potissimæ; Plenitudo potestatis; leges universales condere, easdemque interpretari & corrigere; Potestas creandi Duces, Marchiones, Comites, Barones; jus indicendi bellum; delectum habendi & exercitum comparandi; pacem à bello recedendo, cum hoste in eundi; jus restituendi famæ & honoribus; Potestas creandi magistratus ad justitiam expediendam; tribuendi veniam ætatis; Jus erigendi Academias, creandi Palatinos Comites, Doctores, Licentiatos, Magistros, Notarios seu tabelliones; seu dandi insignia nobilitatis; legitimandi per rescriptum; dandi immunitatem; jus præstandi auctoritatem arrogantibus; absolvendi à juramento ad effectum agendi.

## IX.

Refertur huc etiam, jus instituendi nova vectigalia & vetera augendi; concedendi privilegia; jus cudendæ monetæ: jus nundinarum seu mercatus publici tribuendi; jus concedendi absolutam & plenam securitatem sive salvoguardiam; pronunciandi ne à sententia appelletur; jus recipiendæ appellationis; delegandi causam cum clausulâ remotâ appellatione; potestas tribuendi jus civitatis; jus constituendi & confirmandi cursus publicos vulgò postas itemque armandiæ; viæ publicæ; flumina navigabilia & ex quibus fiunt navigabilia; Palatia & similia.

## X.

Minora Regalia sunt, quæ non tam ad supremam

principis potestatem, quam ad fiscale jus sive ad conservandum & augendum fiscum pertinent, quæ & in jure civili, jura fisci appellantur, ac potissimum in cap: unic: quæ sint regalia, pertractantur: licet in illo cap: non omnia ad minora, sed quædam etiam ad majora spectantia contineantur.

## XI.

Hujusmodi regalia sunt; mulctarum poenarumque compendia; bona vacantia; bona quæ indignis auferuntur, nisi specialiter quibusdam concedantur; bona contrahentium incestas nuptias: bona condemnatorum & proscriptorum; bona committentium crimen majestatis: Itemque portus, ripatica, reditus piscationum & salinarum; angariarum parangariarum plaustrorum & navium præstationes; extra ordinariæ collationes ad felicissimam regalis numinis expeditionem; argentariæ; & dimidium thesauri in loco Cæsaris vel in loco religioso non data operâ, vel integer, in hisce locis data opera inventi, & si quæ his sunt similia.

## XII.

De mero Imperio an in societatem regalium admitti debeat controvertitur? Et quamvis Bocerus negativam tueatur, attamen an cum communi affirmativa defendi possit videbimus.

## XIII.

Quid de venatione statuendum? Et hanc de jure communi inter regalia referri non posse existimamus.

Aliud

Aliud vero est si hodiernam consuetudinem spectemus, quo jure eam regalibus, certis quibusdam limitibus adhibitis, adnumerandam esse, cum recentioribus asserimus.

#### XIV.

Competunt autem regalia vel jure proprio, vel jure alieno: Jure proprio Imperatori, Regi Romano, alijsq; Regibus, principibus, & civitatibus superiorem non recognoscentibus.

#### XV.

Jure alieno, vel ex concessione aut privilegio superioris itemque præscriptione & consuetudine competunt etiam alijs Principibus civitatibus, & nobilibus, superiorem recognoscentibus.

#### XVI.

An etiam Ecclesiasticis personis competunt? Et quemadmodum ex concessione principis secularis alia temporalia habere possunt, ita & Regalia illis concedi posse non dubitamus.

#### XVII.

Fit autem concessio illa vel per privilegium, vel per investituram, prout ex privilegio aureæ Bullæ Caroli IV. Electores jus fodinarum auri argenti, aliarumq; minerarum, item jus cudendæ monetæ aureæ, extremæ provocationis, & alia, acceperunt.

#### XVIII.

Verum ut concessio illa tanto firmior sit, neque

sub

sub vel obreptionis notam incurrat, necesse est ut fiat ex justa & urgenti causa, cumque clausulis ex certâ scientiâ vel motu proprio; quæ clausulæ non præsumuntur, sed omnino probari debent.

### XIX.

Adhæc concessio regalium specialiter fieri debet, neque regulariter in generali concessione regalia compræhenduntur.

### XX.

Quid autem si concessum sit castrum cum territorio an regalia etiam concessa intelligantur? quod vix est ut affirmari possit.

### XXI.

Eodem modo in concessione generali cum pertinentijs factâ, regalia non subintelligenda esse à multis recte asseritur.

### XXII.

Idem etiam videtur dicendum, si castrum cum omni jure quod Princeps ibi habet concessum sit; nec enim tunc regalia, juxta communem, concessa existimantur.

### XXIII.

Quod si tamen Imperator creet aliquem Regem, eo ipso omnia regalia illi concessa censerî, etiamsi specialiter non exprimantur, plurimi Dd. statuunt.

### XXIV.

Similiter ob concessionem ducatus, marchiona-

tus

tus comitatus etiam regalia concessa videntur; quod tamen non de omnibus regalibus accipiendum.

### XXV.

An majora regalia concedi possint inferioribus in quæstionem venit: & distinctione hanc controversiam dirimi posse existimamus.

### XXVI.

Præscriptione quoque regalia acquiri posse non ambigitur illius præsertim temporis cujus initij non extat memoria.

### XXVII.

Ad quam præscriptionem. Utrum scientia & patientia principis necessaria sit, controvertitur? Nos cum magis communi hujusmodi præscriptionem temporis immemorialis etiam sine scientia & patientia principis subsistere posse verius putamus.

### XXVIII.

Cumque in omni præscriptione de jure Canonico bona fides necessaria sit, adeoque sine illâ præscriptio subsistere nequeat, idcirco etiam in hac immemoriali regalium præscriptione ejus ratio habenda est.

### XXIX.

Et cursu tamen tanti temporis bona fides præsumitur, neque ejus allegatione opus est.

### XXX.

De titulo minus dubitatur, quippe qui in imme-

B

moriali

moriali præscriptione non requiritur, cum temporis illa diuturnitas pro titulo meritò habeatur.

### XXXI.

An vero etiam præscriptione triginta vel quadraginta annorum acquirantur: inter disputandum videbimus.

### XXXII.

Consuetudine quoque regalia acquiri posse non dubitamus.

### XXXIII.

Atque his modis acquisita regalia, tribuunt acquirenti potestatem, dignitatem, & nobilitatem, faciuntque ut ærarium ipsius crescat & locupletetur.

### XXXIV.

Remedia quoque & actiones quam plurimas habet; quibus sibi concessa consequi, acquisita defendere, amissaque recuperare potest.

### XXXV.

Si enim per privilegium concessa regalia sunt, condictio ex privilegio competit.

### XXXVI.

Si stipulatio de concedendo vel investiendo facta alicui sit, actione ex stipulatu experiri poterit.

### XXXVII.

Si consuetudine sint acquisita, condictio ex moribus pro regalibus datur.

---

XXXVIII. Quod

### XXXVIII.

Quod ad reales actiones attinet, ratione utilis domini, ad exemplum aliorum jurium incorporalium utilis confessoria & negatoria competunt.

### XXXIX.

Sed an etiam in petitionem hæreditatis regalia veniant quæritur? Et quemadmodum res feudales non quidem per se, sed cum universitate in petitionem hæreditatis veniunt, ita etiam de regalibus in feudum concessis rectè statuitur.

### XL.

Ratione verò possessionis competunt interdicta five remedia adipiscendæ, retinendæ, & recuperandæ, possessionis.

### XLI.

De possessorio recuperandæ, quod illud contra dominum institui non possit à multis traditur: Verum tam ratione rerum corporalium quam jurium incorporalium, non tantum contra extraneum, sed etiam contra dominum hoc interdictum rectè intentari Dd. quamplurimi concludunt; quorum sententiam sequimur, idque in regalibus quoque obtinere verius est.

### XLII.

Non aliter vero regalia inferior asserere potest, nisi concessionem five privilegium aut causam unde ea acquisivit ostenderit.

### XLIII.

Quin & nonnunquam regalia possidens, titulum possessionis ostendere cogitur.

#### XLIV.

Optimus vero modus probandi regalia, præter productionem & concessionem sive investituram, est probatio usus vel possessio aut q. temporis immemorialis.

#### XLV.

Porro cum regalia sint, Imperatoris propria, eiq. jure proprio competant; hinc est, ut qui ea non jure suo, sed beneficio alieno possident, alijs vicissim absq. concedentis consensu eadem tribuere non possint.

#### XLVI.

Adeo quoq. omnis regalium alienatio prohibita est, ut in diminutionem status, & præjudicium successorum fieri nullo modo possit.

#### XLVII.

De interpretatione concessionis variæ à Dd. agitantur quæstiones. Nam si concessio ita facta fuerit: concedo tibi in hac urbe regalia, an majora & minora veniant ambigitur? Et quamvis aliqui distinctionem expedire velint; attamen quæ principi peculiariter in signum supremæ eminentiæ reservata sunt, hac concessione indistinctè non venire putamus.

#### XLVIII.

Quod si vero in concessione aliqua ex regalibus excipiantur, reliqua omnia regalia censebuntur concessa; perinde ac si de ijs facta fuisset mentio.

#### XLIX.

Sed utrum regalia cumulativè an privativè con-

cessa

cessa intelligantur, elegantis disquisitionis est? Et prius ut affirmemus ipsa ratio dicitur, nisi concessorum regalium usus per concedentis usum impediretur, ut in fiscalibus & redditibus.

L.

Quid si quibusdam regalibus concessis subiiciatur clausula generalis, cum omnibus & quibuscunque alijs? Et tunc similia vel minora expressis concessa esse cum Sixtino & alijs concludimus.

LII.

Quod si in generali concessione imponatur tale onus: quod non potest expediri: nisi is cui concessio facta est, habeat regalia: tunc in generali concessione ea comprehendendi interpretes volunt; quæ tamen interpretatio ad majora non extenditur.

LIII.

Quid autem si concedens, in loco concesso nihil habeat quam regalia: an & tunc ea sub generali concessione intelligentur? Quod magis est ut affirmemus, exceptis tamen majoribus.

LIV.

Nec dissimile statui posse videtur: si cum territorio regalia concedi solita sint; nam & tunc sub generali concessione ea venient, licet de eis specialis non sit facta mentio.

LIV.

Quod maximè procedit: si concedens se referat ad consuetudinem in similibus observatam: vel ad

concessiones priores; aut ad eum modum; quo is qui tenuit castrum possedit & usus est.

### L V.

Nec tamen ad insolita regalia talis concessio extendenda: sed solum de regalibus tempore concessionis exerceri solitis intelligenda est.

### L V I.

Unde cui talis concessio est facta; absq; supremæ potestatis concessione, nova vectigalia instituere non poterit.

### L V I I.

Quemadmodum autem feudum sine consensu domini alienatum Vasallus ipso jure amittit, ita & regalia quæ per investituram concessa sunt sine consensu superioris alienata amittuntur.

### L V I I I.

Nec solum alienatione regalia amittuntur, sed & alijs modis: Nam si per privilegium concessa sint cessante causa finali privilegij cessabit & deficient etiam ejus effectus.

### L I X.

Quod si verò privilegium ad tempus concessum sit, ipso finito etiam regalia per privilegium concessa finiuntur.

### L X.

Sic non utendo & abutendo, & ob grave delictum contra concedentem commissum, quale est crimen

læsæ

læfæ majestatis, regalia amitti certum est, quod idem  
& in declaratis in pœnam banni obtinet.

### LXI.

Quid autem si ad requisitionem concedentis de-  
negetur editio tituli regalium? Ei hunc amittendi  
regalia modum esse plerique Dd. statuunt, modo de-  
negans non habeat pro se consuetudinem vel præ-  
scriptionem temporis imemorialis, aut aliam justam  
causam.

### LXII.

Omni deniq; ijs modis, quibus Vasallus feudo  
privatur, etiam regalia per investituram feudalem  
concessa amittuntur: Cum enim regalibus in feudum  
concessis, de causis amittendi nihil peculiare consti-  
tutum sit, meritò de ijs idem sentiendum est quod de  
alijs feudis.

### LXIII.

Præscriptione quoq; regalia minora amittuntur,  
non tantum cum præscribens illa sibi acquirit, verum  
etiam cum imunitatem à præstandis tributis & vecti-  
galibus quæ fisco debentur præscribit

### LXIV.

Disputationem claudat quæstio an, & quod cri-  
men committat falso usurpans sibi regalia: & qua pæ-  
na sit adficiendus.



OKT 27 98

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

LIII

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

LIV

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

1017



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black

Cyan 3/Color

Green 3/Color

Yellow 3/Color

Red 3/Color

Magenta 3/Color

White 3/Color



NOBILISSIMO,  
ANNO VIRO

A METZERAD  
CHITZ, ETC:

UNC VERO REGIÆ  
BOHEMIA MAJ.TIS  
IARIO;

NON  
TUS SUPERIORIS  
TO LAUDATISSIMO;  
IE PRO PRÆSIDI  
SSIMO.

nc inauguraſem,  
æ ſymbolum,  
dedicat

*Respondens.*

